

B. M. II, 118.

n. 28, 2.

X 1880410

II R
4924

Disputatio Politica

DE

MINISTRISIMO,

Quam

Consentiente Amplissimo

Philosophorum ordine,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Excellentissimi Clarissimiq̃

DN. M. JACOBI THOMASII,

Eloquent. Prof. Publ. celeberrimi, Minor.

P. P. Collegii Collegiati dignissimi,

Domini, Præceptoris, Patroni atque Promotoris,
eternùm colendi, de venerandi.

D. XXIX. Febr. A. MDC LXIX.

In Academiâ Lipsiensi

publicè defendit

GEORGIUS HENRICUS GROERUS,

Arctopolitanus Siles. LL. Studios.

Recusa Lipsiæ An. 1669.

Typis JOHANNIS COLERI

v. 5. 6.

5. 17





Juvante Triuno.

§. 1.

MINI-
STRIS-
MI

Comparatio
cū επιτροπῶν
domesticorum



Vod in domo est Paterfamilias, id in Monarchiâ Rex. Quo vocabulo omnes volo significatos, quicumq; monarchici imperii capita sunt cum dominio.

§. 2. Atq; ut solebant olim Patresfamili-
as, qui in magnâ re familiari essent, unum è ser-
vis quem idoneum haberent maxime, toti domui præficere: sic
Regibus etiam placuit interdum, totam administrandi regni mo-
lem ab se in unum è ministris reclinare.

exempla;

§. 3. Talis servus ex historiâ sacrâ notus est in domo Po-
tipharis Josephus: Qui & postea meruit in regno Pharaonistalis
minister esse.



§. 4. Ex recentiore memoriâ referri tales ministri so-
lent sub Philippo IV. Hispaniæ Rege Comes de Olivares, sub Lu-
dovico XIII. Rege Galliæ primùm Ancræus Marchio, post hunc
Dux Luynæus, deniq; Richelius Cardinalis.

nomen;

§. 5. Porrò ut in domo servum, qualem dixi, appellabant
ἐπιτροπῶν: sic in Aulâ regiâ ministrum ejusmodi solemus hodie
Ministrissimum appellare.



Synonymon;

§. 6. Hæc vox in Galliâ scribitur ante annos non ita mul-
tos cœpisse, cum Mazarinius Cardinalis, qui hodierno Regi id
fuit, quod ejus parenti Richelius, hoc sibi tributum à suis nomen
non recusaret.

descriptio;

§. 7. Placuit eadem nobis, non latinitate suâ aut argutiâ,
sed brevitate. Poteramus alias cum politioribus *Primarium* vo-
care *Status Ministrum*.

§. 8. E dictis a. licebit concinnare συνεπιτροπῶν ὑπὸ γράμ-
μασι (quas definitiones trajectas nominare libenter consuevi-
mus) hujusmodi, ut ἐπιτροπῶν fit ministrissimus in domo;
Ministrissimus vicissim ἐπιτροπῶν in regno.



§. 9. Plenior suisq; numeris perfectior erit definitio Mi-
nistrissimi, si dicamus eum esse (1) *Administratorem* (2) *publicum*,
qui (3) *Regis* (4) *jam adulti ac* (5) *presentis loco* (6) *toti imperio*
solus praest. definitio;

§. 10. Primò *Administratorem* vocavi, non *Dominum*, ut
eum distinguerem ab ipso Rege, qui ut maximè administratio-
nem ipsi concessit, dominio se tamen haud exuit.

§. 11. Secundò *publicum*, ne quis eum confundat cum
quolibet Regis amicissimo, seu ut Galli vocat *Mignone*, qui po-
telt esse Regi in deliciis, & maximâ inter aulae domesticos gratiâ
pollere, ut nihilominus nullo sit ministerio publico praefectus.

§. 12. Tertiò *Regis*, ut separetur ab eo quem polyarchica
nonnunquâ imperia similem utcunq; habet *Ministrissimo* Regio.

§. 13. Regis a. vocabulo in successivis imperiis, quæ se-
quiores sexum deficiente masculâ stirpe non excludunt, Regi-
nas quoq;, ubi ad has imperium pervenerit, comprehensas volo.
Si turbent hic aliquid Grammatici, ad Mariam provocabo, Ludo-
vici Hungariae Regis filiam, quæ Regno inaugurata se pro Re-
ginâ *Regem* appellavit. Atq; huic pro *Ministrissimo* Nicolaum
Garam fuisse accepimus.

§. 14. Quartò Regis *jam adulti*, ne *Ministrissimus* noster
confundatur cum regio tutore.

§. 15. Quintò *presentis*, h. e. intra fines imperii degentis,
ut nostrum discernamus à prorege, quem regno peregrino Rex
absens, aut patrio quidem sed peregrè profectus imponere solet
vicarium sui.

§. 16. Sextò *toti imperio solum praesse* dixi *ministrissimum*,
quod secludit eum ab *Administro*, gratiosissimo eo quidem, sed
vel partis, vel tali, qui adjunctos sibi habeat *Collegas* pares, vel tali
deniq;, cum quo ipse Rex dividat imperii curas.

§. 17. Quam hucusq; exposuimus definitio in id simul prodesse
nobis debet, ut nomen *Ministrissimi*, quod alii fortasse quibus-
dam, quos definiendo exclusimus, communicandum putabunt,
ab ambiguitate liberetur. distinctio ab
analogis;

§. 18. Tametsi vero non pauca sunt *Ministrissimo* nostro cum
iis, quos ab ejus conceptu submovebamus, Regni ministris com-
munia, unde ab omnibus communem abstrahere conceptum li-



euisset; commodius tamen instituto nostro fuit, vocabulum alioqui vagabundum intra hæc septa coercere.

§. 19. Poterit ita nihilominus Ministrisimus noster ut Regi suo pro primario Præfecto, sic aliis, qui venire ut cunq; poterant in participationem nominis, pro primario inservire analogato, juxta quod ferri de cæteris judicium queat.

§. 20. Ministrisimo locus magis est in regno succesivo quam electivo.

§. 21. Facit eum verò consensus mutuus.

§. 22. Regem ut à se derivare velit imperii curas, movere solet imperitia regnandi, vel fuga negotii, vel utrumq;

§. 23. Ut in unum solum, sæpissimè facit summus in hominem certum affectus, rarò consilium.

§. 24. Enimverò ab imperito Rege consilium expectari non potest.

§. 25. Peritus vero ut fugiens laborum, mavolet tamen si sapit, regiminis partem leviolem saltem subinde arbitrum agens, aut inspectorem, servare sibi, ut oculus Domini ministrum in officio aut metu contineat.

§. 26. In officio, si probum nactus est; potest enim probos quoque magnitudo fortunæ sibi relictæ corrumpere. In metu, si improbum ac veræ virtutis simulatorem.

§. 27. Quod si maximè liberare se omni etiam inspiciendi molestiâ Rex velit; prudentiæ tamen est, in multos partiri Remp. potius, quam uni dare omnia. Citius enim Collega Collegam observat ac defert, quam se quisque.

§. 28. Tantum de Rege. Ministrum ut oneri tanto submittere velit humeros, præter fiduciam sui movet, in genere appetitus alicujus boni.

§. 29. Sed in specie declarari hoc non potest, nisi Ministrisimum distinguamus prius in probum & improbum.

§. 30. Absit enim à nobis, ut Ministrisimum omnem esse credamus improbum. Rari sint probi, modò ne nulli. Dantur probi Reges: cur non & probi Ministrisimi?

§. 31. Hoc fatemur, citius è probo per §. 26, improbum posse, quam ex improbo reddi probum.

§. 32.

*Subjectum;
Causa efficiens, impellens tum Regem;*

tum ipsum;

Divisio in probum & improbum;

307.
§. 32. Sed improbum hic imprimis consideramus eum, *improbi sub-*
qui jam antequam ad habenas regni admissus est, improbitati se *divisio;*
dedit.

§. 33. Alia improbi Ministrisfimi divisio est, qualem in
Tyranno prævit nobis Philosophus, cum alium dicimus manife-
stum, alium occultum.

§. 34. Sed quia facilior est à manifestis cautio, major est oc-
cultorum seges. Ac talem Anonymus de stirpe Machiavelli Au-
tor *Hominis Politici*, haud absq; seculi pudore, paucos ante an-
nos vulgati, conatur inde usq; à primâ herbâ educare.

§. 35. Probum ab improbo maximè discernit finis con- *utriusq; di-*
filiorum ultimus. Quem propositum sibi habet probus bo- *scrimen à fi-*
num publicum, cujus præcipua pars vera religio; improbus *ne intento;*
commodum privatam; nec Regis, sed suam.

§. 36. Probus itaq; ut vicarias à Rege partes sibi patia-
tur imponi, præcipuè movetur amore salutis publicæ, juxta hunc
desiderio sublevandi Regis. Neutro improbus, qui sibi potius
vel cum Regni Regisve pernicie studet.

§. 37. Jam cum utrumque Ministrisfimum finis ita ut *à mediis;*
diximus, divellat, sequitur, ut ipsos media quoque officii tum am-
biendi tum gerendi separent.

§. 38. Ac probus quidem veris virtutibus hoc honoris
culmen merebitur magis, quam anxie sollicitabit; Improbus au-
tem aperto flagitio grassabitur ad fastigium, aut veteratoriis ar-
tibus perficere studebit, ut quod rone cupit, maximè fugere
videatur.

§. 39. Porrò in amicitiam Regis probus laudabilibus fa-
ctis ingredietur; improbus inhonestis obsequiis & assentationi-
bus irrepet.

§. 40. Beneficiis sibi Regem devinciet probus, ut veri
amici mensuram expleat; improbus, ut Regem habeat in pote-
state.

§. 41. Si in minus peritum Regem inciderit probus, de-
met illi hoc vitium, quoad poterit; alet atque augebit impro-
bus.

§. 42. Probus conscientiam suam tutus non obsidebit Re-
gem; artium suarum memor obsidebit improbus.

302
§. 43. Non optabit probus per aliorum calcatas ruinas ascendere ; optabit improbus , & nefariis molitionibus tentabit.

§. 44. Ubi ad Magistratûs apicem fuerit perventum, probo prima sinceræ Religionis cura erit; improbo nulla.

§. 45. Probus formam Regiminis non temerè mutabit, nec mutabit nisi in melius ; improbus eò se propius abesse à suo scopo arbitrabitur , quo propius imperium reddiderit despotico.

§. 46. Quare probus se præstabit subditis vicarium boni Regis; improbus Tyranni.

§. 47. Probus quantum in se est , provinciis de pace publicâ, de tranquillitate privatâ, de bonorum ubertate providebit; improbus pro eo atq; commodum suis rationibus putabit , bella conflabit cum vicinis, factiones inter se provincialium feret , civium patrimonia exhauriet.

§. 48. Neq; tamen Regem inde suum magis , quam se dîtatum volet ; probus contra Regiam fortunam suâ cupiet lautiores relinquere.

§. 49. Quare suâ sorte contentus, nunquam conabitur dominio suum Regem exuere; sed improbum hac in re sæpius eventus destituet quam voluntas.

à fortunâ;
§. 50. Tam dispares utrinq; artes non mirum est , si dispar ad extremum excipiat exitus. Quod non sic velim accipi, quasi nunquam consortium faciat cum probitate infelicitas, aut cum improbitate felicitas. Sed solent tamen ut plurimum sui quemque mores aut servare aut perdere.

§. 51. Improbos sanè paucissimos sine sanguine ad inferos descendisse compertum. Quorum quidam, ut maximè ætatem unius Regis duraverunt, à successore tamen scelerum poenas retulerunt.

quæ utriq;
periculosa
quidem;
§. 52. Causa vero cur Ministrisimorum etiam qui probi sunt , valde periculosa sit fortuna, tum in eorum altitudine quaerenda est, tum in lubricitate fundamenti.

§. 53. Altitudinem habet Ministrisimus Regio fastigio proximam. Hoc tantum culmen plurimorum invidia, cupiditati, insidiis obnoxium est.

§. 54.

302

§. 54. Neq; adversum hæc satis præsidii habet probitas in seipsâ. Præterquam enim, quòd in hoc orbe robustiora sæpè sunt virtutibus vitia, quæ res optimis quoque Regum detrimento nonnunquam fuit: magna Ministrissimo periculi pars est, quòd ejus potentia non suâ vi sed alienâ nititur, puta Regis favore.

§. 55. Est autem Regum favor tum in genere aliorum res instabilis; tum talium præcipuè quales diximus ab se onus imperii remove, h. e. imperitorum, & qui voluptatibus malunt indulgere, quam Remp. capeffere.

§. 56. Utrosq; sanè suspicaces facit ignorantia, quam imperiti magis habent rerum universalium, otiosi ac sibi solis viventes singularium.

§. 57. Opponit se quidem suspicionibus fiducia, quam de Ministrissimo suo Rex quisq; concepit optimam. Sed fiduciæ vicissim se opponunt blandi delatores, & æmuli alienæ potentia.

§. 58. Quòd si omnes circa se vias obsessas Rex videt, quòd procurare solent improbi Ministrissimi, tantò magis metuere ipsum omnia, nisi bonam mentem planè ejuraverit, necesse est.

§. 59. Hæc ita cum sint, in magis tamen ancipiti sita est felicitas improbi Ministrissimi, quam probi, vel ex hoc ipso, quòd alter fraude nititur ac flagitiis, alter virtute suâ & honestis factis. *improbo tamen magis.*

§. 60. Ergò hunc conscientia bona fortem facit in periculo, aut benè sperantem; illum mala trepidum, aut consiliis non nisi desperatissimis intentum.

§. 61. Et vero quæ per scelus inchoata sunt, vix aliter licet, quam continuâ scelerum novorum texturâ perficere, quòd laboriosum opus & periculosa plenum est aleæ: ubi contra parvo apparatu virtus eget, adversa facilius frangit.

§. 62. Ac fuerunt quidem, qui flagitiis suis, ubi detecta forent, impunitatem crederent à sacræ purpuræ aut illustrium affinitatum reverentiâ quam sibi maturè circumjecerunt, conciliari posse. Sed ne in his quidem esse multum subsidii docemur exemplis. Virtute se suâ involvere longè tutius est.

§. 63. Adde, quòd improbos sæpè prosperi sub initia successus eò provehant insolentia, non sine argumento vindictæ divinæ fontes occæcantis, ut consvetæ calliditatis obliti, quasi jam debellatum esset, nec Regis odia verborum procacia aut ignominio-

307
4929
nimoso gestu, nec furorem populi per impotentiam animi crudelis provocare timeant: hoc pacto sibi maturantes exitium, dum Rex vel suam vel populi bilem in ipsorum sanguine sibi omnino extinguendam putat. Similis protervia probis evenire, nisi ab sua virtute desciscant, non potest.

§. 46. Deniq; in probos fortuna vix ultra dejectionem a gradu favere solet: quam quia vitæ privatæ delicias animo præceperunt, vel pro beneficio ducunt. Adversus improbos, cum privati vivere non didicerint, nullum efficac, nisi sanguinarium remedium est.

§. 65. Concludamus ergo proborum, ut ut periculo non vacent, sortem tamen haud paulò meliorem esse.

Materia in cathedram quam mittis, docte Groere,
Ministrisimus audit.

Barbara vox, sed quæ rem magnam continet, & Te
Tuo & Preside dignam.

Talis, ais, Sejanus erat Druso atque Neroni,

Fidem augente specu alto.*

* Tac. Annal. 4, 59, 2.

Talis erat, fateor. Sed tu, Pater optime, faxis,

Dynastis meliores

Sejano, fidiq; magis rectiq; tenaces

Ministrisimi ut adsint.

Pulchram illi effigiem Cesar* : Nos, dicere fas sit,

* Tac. Ann.

Crucem ponimus illi.

(3, 72, 3. 4, 2, 4)

L. FRIDERICUS RAPPOLT

Prof. Publ. & h. t. Acad. Lips. Rector.



1077

300

*Subjectum;
Causa efficiens, impellens tum Regem;*

tum ipsum;

Divisio in probum & improbum;

euisset; c
lioqui vag
§. 19
suo pro pr
in particip
juxta quo
§. 20. I
electivo.
§. 2
§. 2
solet impo
§. 2
nem certu
§.
ri non po
§. 2
si sapit, r
gens, aut
in officio
§. 2
quoque r
si improb
§. 2
di molest
Remp. pe
gam obse
§.
mittere v
petitus al
§. 2
strisimu
§.
esse creda
tur probi
§.
posse, qua

vocabulum a-
noſter ut Regi
cunq; poterant
vire analogato,
accefivo quam
i curas, movere
mq;
mmus in homi-
filium expecta-
mavolet tamen
nde arbitrum a-
mini miſtrum
eſt enim probos
ere. In metu,
etiam inſpicien-
n multos partiri
n Collega Colle-
oneri tanto ſub
et in genere ap-
teſt, niſi Mini-
robum,
ſſimum omnem
dò ne nulli. Dan-
). 26, improbum
§. 32.

8
19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
Inches
Centimetres

Kodak
LICENSED PRODUCT
Black

KODAK Color Control Patches
© The Tiffen Company, 2000

3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue